



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Contra amorem mundi, 32

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

amplecterer, se desiderarem, se tenerem, se uterer totis viribus: & se celando in occulto pectoris, in culpam facile pravi cordis laberer & operis. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es, quid faciam ego iniquissimus peccator? Quem amatorem potero invenire, qui me diligat, cum nullum dilexerim nisi meipsum, & in peccatis innumerabilibus vixerim? Quis me liberabit à ventura ira, à rugientibus præparatis ad escam, & à laqueo infernali? Meipsum juvare non possum, neque te requirere audeo, cum te non dilexerim. Imo quia neminem dilexi, neminem audeo in adiutorium meum invocare. Sed ad tuam immensam pietatem recurro, ô amor, qui errantes reducis; qui misericors es & miserator, & neminem vis perire, sed salvas sperantes in te. Succurre ergo mihi, & da veniam de peccatis; & gratiam, ut nunquam me respiciam, sed te, vel me in te; ut diligam te toto corde, nec à tua dilectione unquam recedere valeam, sed ipsam conservem nunc, & in vitam sempiternam, Amen.

CAPVT XXXII.

Contra amorem mundi.

1. **S**Cio & expertus sum ego ingrattissimus peccator, (clementissime Domine Iesu Christe, supercælestis amator) quod amor mundi, animas, quas ingreditur, quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus vanisque terroribus sollicitat eas.

Talis

Talis namque amor mundanus premit amatores suos, & non adducit eos ad bonum; sed qui tali amore uritur, à tuo amore Domine excluditur. Talis amor mundanus cum tuo amore non jungitur, nec ei congruit, neque ad societatem filiorum tuorum pervenit: qui se à carnali generatione non dividit.

2. Amor mundi Domine sese cum suis consolationibus, ne dicam desolationibus, undique ingerit: per auditum namque, quasi per fenestras irruit: & mentes suorum amatorum vehementer occupat. Animam polluit, charitatem violat, proximum lædit; te Dominum spernit, amorem tuum repellit, totum hominem capit, ac eundem decipit. Cum labente labitur: & cum eum tenere quispiam credit, de facili evanescit. Non consolatur, sed contristat; non permanet, sed fugit. Ejus dulcedo in amaritudinem vertitur; ejus pulchritudo in horrorem mutatur: ejus desiderium in pœnam convertitur. Qui hujusmodi amorem amplectitur, decipitur, & præcludit sibi ipsum ingressum tui amoris: quia ubi amor mundi inhabitat, non ingreditur amor tuus.

3. O benignissime Iesu Christe, amor increate, vae mihi impiissimo peccatori, qui creaturam amando, te creatorem deserui, propter condita conditorem reliqui, transitoria dilexi, & sempiterna sprevi. Desolationes pro consolationibus suscepi, pœnam pro gloria, mortem pro vita, peccatum pro virtute, & mendacium pro veritate. O misericordissime Domine, respicere me dignare
oculo

oculo pietatis & misericordiae, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorem saeculi; & da mihi gratiam, ut te amem & diligam corde & opere: nec ab amore tuo separer, sed in ipso permaneam in perpetuum, Amen.

CAPVT XXXIII.

Contra amorem divitiarum.

I. **C**erta experientia didici (benignissime Domine Iesu Christe, sine mensura in amore dives) quod nihil laboriosius est in hoc mundo, quam terrenis aestuare desideriis. Nam terrenarum divitiarum amor insatiabilis est; & longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo. Talius quoque divitiarum acquisitio, magni laboris est; possessio magni timoris: & amissio, magni doloris. Qui illas amat, te Dominum amare non potest! sed cum ipsis labentibus, labitur in perditionem: & qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem. Qui enim eas invenit, requiem perdit; & cum vigilat, augmentum cogitat: cum dormit, fures somniat. In die est afflictus, & in nocte pavidus, semper autem mendicus. O clementissime Domine Iesu Christe, cujus amor nullum fallit; video per effectum, quod laqueus est in auro, viscum in argento, & pedica in praedio. Quia qui aurum petit, strangulatur; quia argentum, visco hæret: & qui praedia, alligatur. Qui mane quaerit lucrum, vesperi reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid egitur.

2. Ad